



Universitätsbibliothek Paderborn

**TRACTATVS|| DE CON-||FESSIONIBVS MA=||LEFICORVM ET
SAGA-||RVM SECVNDÒ RECOGNI||tus, & auctior redditus.||
An, & quanta fides ijs adhibenda sit?||**

Binsfeld, Peter

Avgvstae Trevirorvm

VD16 B 5530

Secunda Conclusio. Si Iudex aliquem ob indicia & suspicionem maleficij in carcere detentum, morbo aliquo aut infirmitate correptum, & mortuum ante criminis confeßionesm, aut probationem, habuerit, ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-41113

Secunda Conclusio *Si Iudex aliquem ob indicia & suspicionem malefici in carcere detentum, morbo aliquo aut infirmitate correptum, & mortuum ante criminis confessionem, aut probationem, habuerit, & postea in corpus pœnam statuerit, aut illud deferri in locum publicæ executionis, ad sepeliendum in loco ignominioso, aut ad afficiendum aliqua ignominia curauerit: hæredes aut consanguinei possunt contra talem iudicem actionem iniuriarum instituire, & cogere ad reparationem iniuriæ, & restitutionem famæ.*

HÆC Conclusio satis probatur ex L. i. §. Quotiens. ff. de iniurijs. & ex eis, quæ Alber. Angel. & alij ibidem dicunt. Ratio est clara pro Conclusione. Sic enim mortuus nullo modo est condemnatus de crimine, imò nec in hoc casu possit condemnari, cum nec confessus sit crimen, nec probationibus cõuictus. Ergo Iudex qui corpus tali infamia afficit, iniuste facit, & iniuriam infert cadaveri defuncti, quam vindicare spectat ad hæredes defuncti. arg. d. §. Quotiens. Præterea talis nullo iure fuit prohibitus sepeliri in loco sacro. Ergo sepultura non debet priuari. Hinc superioribus annis iustissimè quidam senatus amplissimus, ad instantiam hæredum & amicorum cõdemnavit

navit quendam officiatum, qui ob suspicio-
nem & indicia maleficij & magiæ carceribus
detentam fœminam, & infirmitate mortuam
curauerat apud patibulum sepeliri, ad exh-
mandum cadauer, idque non per carnificem,
aut homines infames, sed per probos, & ad se-
peliendum in loco sacro. Hanc Conclusio-
nem etiam intelligo habere locum, quoties &
confessio nulla intercessisset, utpote sine indi-
cijs præcedentibus, aut reuocata fuisset, & reus
in ea non perseuerasset. Tunc enim perinde
esset, ac si non confessus fuisset, ut alibi in su-
perioribus explicatum est.

*Tertia Conclusio. Confessus cri-
men, aut de eodem conuictus, si pœnitens
fuit, aut signa contritionis dedit, si moriatur
infirmitate in carcere, regulariter iure cor-
pus non priuatur sepultura Ecclesiastica.*

PROBATVR Conclusio, arg. eorum quæ ha-
bentur in cap. Placuit. 23. q. 5. ex Concilio
Bracharen. primo, & cap. Ex parte, de sepult.
Nec etiam ullibi in iure cauetur, quod sic
mortuus non sepeliatur in loco sacro. Nihilo-
minus apud multos consuetudine receptum
est, quod tales non sepeliantur in loco sacro,
sed educantur à carnificibus aut ad locum sup-
plicij, aut alium locum prophanum, maximè
quan